

IPC S.

1567

1567

271a

oo
Constat 3. M. in S. Hütten,
zu Letza q. veltzi a. 1700.
oo

6
XVII, 284.

CARMEN,

3
IN NV^o

PTIAS ILLVSTRISSIMI
PRINCIPIS, IOANNIS GVILIELM
MI, Ducis Saxoniae, ac inclytæ SV
SANNÆ DOROTHEAE,
Illustriss. Principis FRI
DERICI Palatiz
ni Elect. F.

L. HELMBOLDO MVLHV
sino authore.

ERPHVRDIAE,
Per MARTINVM
de Dolgen.

M. D. LX.

CARMEN
I M N V

OTIAS ULVSTRISIMI
PRINCEPS GUILIELMUS
DUCIS SACCINGORUM
ANNUS DOROTHEAE
MENSE APRILIS
DIE OCTAVA

A. HELMOLDUS
SACR. PALAT.

ET HARDA
P. MARTINI
de Dolgen

M. D. CC.



ILLVSTRISSIMO PRINCIPI,
AC DOMINO, DOMINO

Ioanni Friderico, fratri iuniori,

Duci Saxonie, Landgrauio

Thuringie, Marggrauio

Misnie, domino suo

clementissimo,

S. D.

Fratribus acceptum, fraterno quicquid honori
Additur, esse solet, quã se sol promit ab Indis,
Gadibus & quã se post montes Herculis, abditi
Nec minus, à summo radios quã spargit Olympo,
Iactibus obliquis, quibus ultimo in æquore Thules
Aspicit Arctoo sub sydere: & infima Nili
Antra, Canopæis uidet occultata sub astris.
Mutua fraternas pertentant gaudia mentes,
Hic, & ubiq; hominum: tantas generatio uires
Naturalis habet, tanta est in sanguine uirtus.
Nec reor humanis illos genitoribus ortos,
Aut teneris labijs materno ex ubere molles
Elicuisse haustus, quibus est contrarius ardor
Caucasæ potius duro de marmore rupis
Profiluisse puto, lac & suxisse ferinum.
Imò, quod est incredibili monstrosius illo,
Intra uiscera eum gestant, quo consule retrò
Vidit, & in lapidem concreuit Lothia coniux.
Corda Gygantæis hic saxea fratribus addit,
Mollia ut econtrà dat pectora mollior hospes,

A 2

Scilicet

Scilicet & matris qui uiscera salua reliquit,
Talis ut à partu, qualis fuit ante, maneret.
Quem quoniam patrio dux illustrissime ritu,
Atq; ardore colis, geminis cum fratribus uno:
Ultima quos inter tu matris cura fuisti,
Qui, (uelut & uestrum natu qui maximus extat)
Nomen habes, quo pax opulenta, & gratia ridet.
Gaudia quis dubitet, te nunc sentire profundis
In sinibus? quis te non toto pectore letum
Esse putet? medius natu connubia frater
Dum parat, in cuius laudem, decus, atq; benignum
In thalami auspiciu, cum nunc operosior extet
Quisq; meis etiam mandauit pauca Camoenis
(Multa citò nequeunt) canerent ut carmina, fratris
Non sine honore tui, Ioannis nempe Guilhelmi.
Hæc tibi Ioannes Friderice pijsime princeps
Offero, si fuerint mediocri digna fauore,
Polliceor posthac maiori digna daturum.

Datum Erphordie VII Nouembris,
Anno salutis LX.

T. Cels. deditiss. Ludouic.
Helmb. Mulhusi.

CARMEN,

IN NVPTIAS ILLVSTRIS. Principum, D. D. IOANNIS GVILIELMI, Ducis Saxoniae, &c. & SVSANNAE DOROTHEAE, illustriss.

P. FRIDERICI Elect. Palatini ad Rhenum, Bo-

hemiae Ducis, &c.

filiae:

filiae:

L. HELMBOLDO MVLHV-

sino authore.

Tempus erat, quo nil tellus immitte relinquit,
Cuius ei vires tribuit natura feraces:
Sed post congestas hyemalia in horrea fruges,
Post pyra ab arboribus decerpta, repostaq; poma,
Maturas etiam plenis in vitibus uvas
Quo dat, & in ueteres mittit noua musta lagenas.
Cum mihi forte pedem ferre extra magna luberet
Moenia, per portam, limis quae respicit Arcton,
Nempe, Erphordiacam trepidat quicumq; per urbem,
Riuulus, aut fluius, prope quam cumulator exit,
Pomiferosq; inter lentè prolabitur hortos,
Aut humiles salices, aut celsas praeterit alnos,
Planaq; transmittit leni curuamine prata.

A ;

Et

Et uidet in lauo crescentem littore Bachum.
Hic ego oberrabam, nondum prohibentibus Euris,
Multa animo tacito memorans, hæc deniq; dicta
Ore sonante dabam, & manifesta uoce loquebar.
Lecta Palatini iam sunt mihi Carmina Nicri,
Et Thuringiacus placido quæ murmure Salas
Aedit, in æternos ducis Illustrissimi honores,
Qui uerè ensifero satus Electore, duorum
In medio fratrum, summa concordia ad Ilmæ
Ripas Oenagoram, regale palatium habentem
Incolit, excellens & corde, & corpore princeps.
Nomen ei geminum est, Ioannem namq; V Vilhelmum
Dicunt: hoc multis galeis quòd gaudeat, illud
Gratiam earundem portendit, Martius heros
Est etenim, gratusq; uiris, qui castra sequuntur:
Belgica quod nunquam non attestabitur ora.
Is nunc depositis armis, dum pace fruuntur
Teutones, Hispanis dum tuta silentia præbent
Galli, Pannoniæ neq; Ponticus imminet hostis,
Dum simul alta quies Danos tenet, atq; Britannos:
Otia agens etiam, laudem ut mereatur, amorem
Eligit, humani generis cui honesta propago
Se totam debet, nulla ratione pudendo,
Sphæriseri gnatum petit Electoris, eamq;
Ilmæstuas sponsam sponsus deducit ad ædes.
Proptereaq; Nicer cum Sala plaudit, & ambo
A bifida antiquæ commendat origine gentis,
Nobilibus tædis felicia fata precatur.

Audiat

Audiat haec, medius qui labitur inter utrosq;
Hiera? nec assurgat uenienti Nisridi Nympha?
Nec iuueni Ilmicolae gratantia uerba loquatur?
Tum neq; dignus erat, cui princeps deinde faueret,
Nec, socium proprio quem Sala admitteret aluco,
Et procul hinc celebrem secum deferret ad Albim.

Sic ego: cum Hieras glaucum caput extulit undis,
Cana uiri mentum senioris barba tegebat,
Squallida tempora erant, confusi & arundine crines,
Hos quatiens, rorem simul excutiebat ab illis.

Tum sic affari: ne talia quaeso preceris
Immerito, afflictoq; seni, qui plurima saecula
Viderit, at raro elapsis meliora notarit.
Nam ruere in peius momentis omnibus aeuum,
Conqueror expertus: quondam florentibus annis,
Creber in his ripis cum se exerceret alumnus
Pieridum, egregius cum coetus utrinq; sederet,
Artibus intentus discendis, atq; docendis,
Auribus his nunquam deerat, quod scire iuuaret.
Ethnica cum sacris resonabant, iura tenebam,
Atq; Podalyrii documenta, medentia morbis.
Cum ueterum historijs, noram quaecunq; recentes
Acciderent: Latio, & Graio simul ore disertus,
Ingenio poteram memori profundere Carmen,
Quodlibet exigent diuersa euenta, lociq;
Quare etiam fluuijs late uenerabilis, Vnstri
Seruitio, neq; non Sala potiebar, & Albis.
Hij memores priscae nunc maiestatis, in illo

Officio perstant, humeris sudantibus ultrò
Acceptum, Oceani reddunt me fluctibus, ursæ
Arcadicæ cui se non unquam subtrahit astrum.
Nec uideo, cur non faciant: sine crimine noster
Alueus est, nec ego spontanea in otia lapsus,
Iam rudis existo, ueierumq; obliuia rerum
Contraho: sed populus, cui plurima commoda præsto,
Cuius agros, hortosq; rigo, cui pura lauacra
Præbeo, cui granis admixtus præparo Zythum.
Is repulit doctas Pimplæidas, ille recepit
Barbariem, hanc nostræ causam ruditatis habeto,
Ille mihi summos est demolitus honores.

Sæpius indignor, uindictæ signa minacis
Sæpius ædo: ruens insucio gurgite, pulso
Mœnia, non capiunt surgentia flumina ualles,
Vnda suburbanas ripis ascendit in ædes,
Impetuosa molas labefactat, robore fixa
Fundamenta quatit, nulla hic obstacula profunt.
Nam uelut infrenes cœlum per inane feruntur,
A Eolio quoties erumpunt carcere uenti.
Sic aqua per campos, pomaria, prata, roseta,
Libera præcipitat, nullisq; tenetur habenis.
Ramus adoptatus ramo, radice sub ima
Eluitur, pereunt frutices, herbaeq; salubres,
Leta seges, altè limo occultata putrescit,
Ad silices aruum quoq; nuda ut ad ossa uoratur.
Haud citra damnum uidet hoc meus accola, fontem
Nec tamen inquirit, neq; retrò cogitat unquam.

Est

Est Epicuræi gregis, euenientia casu
Omnia metitur, non læsi numinis iram
Horribilem agnoscit, sua nec delicta fatetur.
Diluuio terrendus erit, nihil ista minora
Nanq; mouent: nullus plagæ tolerabilis usus
Dura in ceruice est, rigido uultu ense recidi.
Simplici & hic poteram non nil ignoscere plebi,
At proceres, quorum rata sunt arbitria ubiuis,
Seu malè, seu benè quid statuunt, plerūq; quod urgent,
Non uenia, certis sed pœnis astimo dignos.
Nanq; alijs ut præteritis, modò conquerar unum,
Cœnobium Augustum, multis doctoribus olim
Quod patuit, sedes quoq; nunc peridonea Musis
Quod foret, infanti cesserunt uniceo habendum
Aduena, & indocto, sibi qui uix utilis ipsi,
Nedum alijs proffit: tamen introductus, opima
Possidet, ac perdit bona: præter pœcla, dapesq;
Nil tractare sciens, carnem sapit, atq; Phalernum.
Et satis ille facit, quia nil exposcitur ultra.
O humanarum quæ sunt ludibria rerum?
Crassus & in procerum dominatur mentibus error.
Siccine posse putem fieri? Thuringia tota,
Finitimeq; plagæ, quin & Germanicus orbis
Integer, æquoreas latè quâ prospicit arctos:
Solis & occiduos ultra Rhenana fluenta
Quâ comitatur equos: australes quantus ad Alpes
Surgit: & hinc cum Danubio procurrit in ortum:
Non aliam sedem, non arcem, non habet urbem,

A S Que

Quæ memorabilior, quæ sit celebratio Aede
Augusta, quam nunc homo inutilis obtinet unus.
Diuis in ea scrutatus nanq; tabellas,
Prodiit in lucem Lutherus, heu quibus ille
Orabat labijs? quam sacrosancta canebat?
Paucula adhuc memini, quibus Augustinia templa
Me tacite, ac tarde præterlabente sonabant.
Connubialia sunt, Danielis uerba prophetae,
Esse Deo curæ casto testantur amores,
Corda libidibus uerò flagrantia fœdis,
Detestabilia, & poenis obnoxia monstrant.
Talis Saxonici Ducis ergò Carmina tædis
Accinere, ut non est absurdum, ita spero probatum
Iri cognatis Salæ, Nicroq; fluentis:
Cum quibus haud ausim iam nunc contendere, quondam
Victor eram, quondam meliori uoce canebam.
Sed tu spirituum rector, facundia cuius
Viuida ab ore fluit, per quem Danielica lingua,
Labraq; Lutheri uiguerunt, coelitus adsis,
Carminibusq; meis ne desit gratia, præstes.
Tempore quo Solymas, Chaldaei regis iussu,
(Irascente Deo propter peccata Manassæ)
Obsidione graui princeps Nabuzarda premebat:
Muris, & portis effractis, arceq; capta,
Maxima Iudaici populi, atq; potissima turba
Deducebatur patrijs longissimè ab oris,
Ampla Semiramie quæ mœnia præterit urbis,
Euphrates Syriæ fecundæ fertilis amnis.

Inter

Inter eos, duram qui tunc Babybone colebant
Vitam, clarus erat Ioachimus nomine ciuis.
Is sibi legitimi uinclo sociarat amoris
Susannam Helciaden: quæ quantum corpore cunctis
Israeligenis præstabat, & ore puellis,
Tantum etiam ueris animi uirtutibus omnes
Exuperabat, habens nullam pietate secundam.
Quod ueneraretur, nihil illi antiquius usquam,
Atq; paternus erat Deus, hunc uel amando timebat.
Nata bonis etenim, iustisq; parentibus, ædes
Nil intra patrias, teneris spectarat ab annis,
Audierat ué, probæ quod non imitabile proli
Vsq; foret, uegetos regeret dum spiritus artus.
Sed per Mosaicæ ducta, informataq; leges,
Castè imitata piæ est exempla domestica uitæ.

Vtilium diues Ioachimo copia rerum,
Et per amœnus erat, laribus spectantibus, hortus:
Hunc gelida æstiuis umbrosam frondibus unda,
Exiliens uena nunquam cessante, rigabat.
Illum, si qua grauis communia uota uirorum
Exigeret ratio, Iudæi semper adibant,
Consultaturi: nam præstantissimus unus
Omnium, honorificis superabat dotibus omnes.

Accidit illo autem duo præficerentur ut anno
Iudicijs, quorum cana spectabilis ætas
Barba erat, atq; uiros populo spondebat, abundè
Qui saperent, neq; quid facerent, nisi lege probatum.
Decipit aspectus, neq; semper proficit annus:

Namq;

Nanq; senes isti tales sub corde premebant,
Quales clara Dei uox monstrat, & arguit, aiens.
Quos sibi censors statuerunt, atq; magistros
Iusticiae, artifices scelerum sunt, iura uidentur
Dicere, uim faciunt populo Babylone moranti.
Ii referente diem Phoebus, Ioachimica semper
Tecta frequentant, illic pro lege sedentes,
Litigiosa hominum cum factis, dicta librabant.
Iudicialia post finita negotia, ad aedes
Cum sese proprias aetorum quisq; referret,
Tempore, quo medium caeli sol occupat axem,
Tantum & abest Zephyro, quantum discessit ab Euro:
Mos erat Helciadi, par amoena uireta mariti,
Subter pomosas pedetentim incedere frondes.
Quam semel atq; iterum, gliscente libidine postq;
Conspexere senes, traxere per ossa uenenum:
Frigidus, & rarus circum praecordia sanguis,
Nequitia exarsit, mox orbi sensibus ambo,
Ingeminauerunt solam suspiria in illam,
Illam oculis fixam, fixam gessere medullis.
Vsq; adeo capti, caeciq;, ut lumina caelo
Non ferrent, non aspicerent Hyperionis astrum:
Non meditarentur Mosae praeccepta: nec iram
Vindictis aeterni, neq; flagra seuera timerent.
Ambo laborabant, ambo graue uulnus alebant,
Nec non extiterant ijs mutua signa doloris:
Sed pudor est, turpem qui non finit edere morbum,
Ergo & uterq; tacet, thoro & insidiatur amatae,
Eius

Eius & obseruat, facie quò sæpe fruatur,
Degeneres oculos generoso in corpore pascat :
Atq; pudiciæ de stirpe alimenta petulco
Accipiat iecori, ueluti de flore salubri
Ventriculosa capit, quem foedet, aranea succum.
Hoc studio, atq; dolo dam fortè diutius hærent
Iudicialibus in sellis, uel in area oberrant,
Alter, eamus ait, nam quo prandere solemus,
Tempus adest: abeunt, digressus uterq; recurrit,
Atq; loco pariter sibi fiunt obuij eodem,
Vnde pedem tulerant, diuersa in compita euntes.
Dum percontantur causam, esse fatentur amorem,
Et subito unanimem sensum inspirante Megæra,
Consilium capiunt, solam quò prehendere possint.
Mutuam in hoc operam sibi pollicitantur, & ignem
Igni addunt, sceleriq; audendo pectora firmant.
Ergò diem, facilis quo sese occasio ferret,
Constituunt, uigiles obseruant omnia: & ecce
More suo famulus comitata duabus, in hortum
Helcias ingreditur, rapido lotura sub aestu.
Nemo uidebatur, nec homo pomario in amplo
Vllus erat, senibus (qui post Myrteta latebant,
Perfido & insidias uoluebant pectore) demptis,
Suspicione uacans omni, neq; conscia amorum,
Præcipit ancillis hera, torrida smigmata, & udum
Balsamum ut apportent, pomarij & ostia claudant,
Quò secura lauet, nullis obnoxia ocellis.
Non secus, ac iussæ faciunt, properantq; ministræ,
Anterius

Anterius claudunt, postico limine, ut intrò
Iussa ferant, abeunt, neq; post arbusta latere
Quenq; animaduertunt: senibus spes improba crescit,
Impatiensq; moræ, digressis retrò puellis,
Surgit uterq;, pede & tremulo iuueniliter uti
Non timet, accurrit, puro se fonte lauante,
Fœdis aggreditur dictis, ac talia fatur.

Ecce fores horti sua quasq; repagula firmant,
Nec patet hic oculis hominum locus, arborum opacæ
Umbra tegit, nostrisq; fauet promptissima uotis,
Impatiente tui pariter qui ardore flagramus.
Ergo cupidineas quoq; tu nunc concipe flammæ,
Et Veneri obsequium, concesso corpore præsta:
Tuta silentia erunt per nos, neq; pœna sequatur.
Difficilis uerò si refragaberis, audi,
Quanta tibi immineant, quàm dedecorosa pericla:
Nos ambo testes, gemino affirmabimus ore,
Quòd te uiderimus, cautè, astuteq; puellis
Antè foràs missis, iuuenili in amore iacentem.

Obstupuit casta aspectu Susanna uirorum,
Auertitq; oculos, precibusq; minisq; nefandis
Territa, corde gemens, traxit suspiria ab imo
Anxia, & hanc egro uix misit pectore uocem.
O angusta mihi quàm nunc sunt omnia captæ,
Nulla patet ratio, qua salua emergere possim.
Hæreo utrinq;, duplex uia, uerùm neutra doloris
Expers, disrutior misera, atq; pauore fathisco.
Si scelus hoc etenim commiserò, morte peribo,

Sine

Si minus, ex manibus tamen haud euasero uestris.
Sed mihi uel fraudes optem prius improba nectat
Lingua, uel insontem det me uis horrida Letho,
Saxa terant caput hoc, cerebrūq; in puluere spargant,
Ante Deus, quam te uiolem, aut pia foedera frangam,
Atq; tui irritem per crimina numinis iram,
Sic ait, ac toto clamorem robore tollit.

Illico & ambo senes, quam magna uoce ualebant,
Vociferabantur, quasi deestabile, & ingens
Spectarint facinus: pomarij ad ostia uelox
Alter abit, reserat: clamoribus excita herilem
Turba domum seruans, per postera limina praecipit
Irruit, ut uideat, quid herilis clamitet uxor.
Continuo narrare senes, uidisse cubantem,
Admirabundi subito erubere ministri.
Fama etenim dominam celebrauerat ante pudicam,
Turpe nec audierant, quod uerbum emisserit ore,
Corpore patrantem nedum quid tale notarint,
Irriti ij fures, animo indignante recedunt.

Nox ruit interea, & reuoluto cardine caeli,
Sol redit, haud rutilans, moesto sed lumine pallens.
Iura petituri pro consuetudine Apellae,
Conueniunt tectis Ioachimi, & protinus adsunt
Corda senes odijs, ac technis foeta ferentes,
Quas illaturas heroidi fata putabant.
Ergo tribunali cum iam statione sederent
Conspicui, toto populo auscultante, iubebant
Suzannam Helciaden, Ioachimi coniugem adiri,

Hoc

Hoc cum mandato, legi ut subiecta ueniret,
Iudicibusq; ream certa se sisteret hora.

Illa uocata uenit, secum miserabile ducens
Agmen, cum cana canum genitrice parentem,
Quosq; suo gessit charos sub pectore natos,
Et consanguineo cunctos de semine cretos.
Omnibus ater erat uestitus, & ora latebant.
Helciadis uerò malasq; genasq; uenustas
Nequitiosi isti cum nossent, atq; probarent,
Lumina nec possent scelerata explere uidendo,
Angelicum niuea uelatam syndone mentum,
Nudari, & capitis remoueri uela iubebant,
Sic etiam illius spetic ut fruarentur, honesti
Osiores, corruptores, furesq; pudoris.

Fœmineæ quot erant genuini partis amici,
Quotquot & Helciaden norant, ijs crebra per udos
Gutta ruens orbes, madefacta per ora fluebat.
Artifices autem confidentissimi, atrocis
Opprobrij, in media consurrexere corona,
Ac diris manibus tetigere sacrata pudicæ
Tempora Susannæ: largo quæ flumine uultum
Humectans, oculos cœlo cum mente ferebat:
Inde salutiferam sibi opem sperabat, & alto
Corde Deum retinens, solo fidebat in ipso.
Execrabilia intereà ad periuria soluant
Ora senes, & in hæc erumpunt deniq; uerba.

Nos duo cum soli, compostis liibus, horto
Intercramus heri, uestigia tarda per herbas

Mutus

(Mutua dum forsā sererentur uerba) serentes
Ingredebatur, tantūm comitata duabus
Hæc mulier seruis: quæ postquam pessula portis
Obdiderant, domina iussu pomario abibant.
Continuò iuuenis præstanti corpore, & ore,
Ex latebris prodit, rapidis amplexibus illam
Circuit, occulta nos hoc regione uidentes,
Approperabamus: pudor est ibi facta profari,
Nanq; pudenda numis res est in coniuge stuprum.
Offendebamus iunctos: comprehendere foedum
Heu stupratorem, longa hæc effoeta senectæ
Brachia non poterant, iuuenuli robore fretus
Se manui eripuit nostræ, portaq; refracta
Exiit: mœcham percontabamur, at illum
Prodere nolebat, nos uisa, ac facta profamur,
Publici & astamus capitali in crimine testes.
Credidit his, tanquam senioribus, atq; probatis
Concio iudicibus, populi consensus iniquus
In suffragia abit, morti Susanna uouetur.
Quæ sibi non merita laudem periisse iugalem,
Extremamq; uidens instare atrociter horam,
Clamat, & his precibus cœli ardua limina pulsans
O domine, ô æterne Deus, qui celsus ab arce
Prospicis æthereæ, terræq; abscondita lustras,
Qui procul aspectas, olim quæcunq; futura,
Explorata & habes citius, quam singula fiunt.
Tu scis falsa senes contra me probra locutos,
Tu scis ex odio testatos. ecce misellam

B

Ecce

Ecce Deus morior, foedas in corpore poenas
Ecce fero, sceleris cum sim purissima, acerbè
Callida quod contra me lingua probabile finxit.

Talibus æthereas ferientem uocibus arces,
Audiit omnipotens, senibusq; iratus iniquis,
(Dum mulier manibus trahitur moritura ligatis)

Ad comites oculos torsit, mediaq; caterua
Conspexit puerum Danielem nomine: eidem
Veridicum celeres demisit pneuma per auras,

Mox puer instinctus, clamorem sustulit, aiens.
Sanguinis huius ego nolim reus esse, nec autor
Ut profundatur cruor hic innoxius extem.

Respiciens populus, sermone hoc percitus, inquit,
Quid tuus iste sibi subitus uult clamor? & ille

In medio assistens, ait. hæccine pectora uestra
O iacobigenæ tenet insipientia, & error?
Israeligenam temerè ut damnare puellam

Positis, citius quàm certo examine constet
Causa. reuertimini sub tecta forensia, falsis
Testibus ante fides habita, & res irrita tota est,

Pondere uerba ualent, ad iudiciale reditur
Suggestum, proceres Danielem ascendere iussum,
Hortantur fari, quia eum Deus ipse uocarit,

Causa ut in obscura seniores iura doceret.
Iudicium instaurans igitur, seiungite testes
Inquit, ut explorem, quid dicat uterq; seorsim.

Consilium sequitur factum, secluditur alter,
Alter in aspectum pueri producitur, illi

O uetea

O ueterate, inquit, multorum gnare malorum,
Nunc tua se renouant, nunc te tua crimina damnant,
Maxima quæ n. llos iterasti impunè per annos,
Contra præscriptas leges, & conscia contra
Corda, uel in magnis ædens suffragia rebus,
Innocuus damnans, absoluens carcere dignos.
Cum tamen ipsa Dei uox sit notissima, dicens,
Corpora ne dedas iustorum innoxia morti.

Nunc age si tibi quid temerè hæc delinquere uisa,
Dic, adolescenti qua iuncta sub arbore sedit?
Arbor, is inquit, erat lentiscus: paruulus, euge
Egregiè mentiris, ait, sententia uestra
Scindetur, scindet medium te iusta potestas,
Angelus à domino missus, periuria tollet.
Hunc ita correctum remoueri, eiusq; sodalem
Præcipit adduci, quo uiso, talibus inquit.

O Chanae referens genus, & non semen Iudæ,
Flagitiose senex, blandi te gratia uultus
Corripuit, tua mens euersa libidine tota est.
Nec scelus hoc seris primum tentatur in annis,
Israeligenis nuribus struxistis & olim
Insidias, multa uim sunt formidine passæ,
Iudaica hæc uerò precibusq; minisq; proteruis
Restitit, & uestras ausa est contemnere uires,
Quam tamen asseritis, castum soluisse pudorem.
Euge sub arbusto dic, quo conspexeris ipsam
Ludere amatori? respondet in ilicis umbra.
Reddit ei Daniel, clarè mentiris & ipse,

B 2

In

In caput omne tuum recidet malum, & Angelus ense
Te fodiet, tua te iam iam mendacia perdent.

Talibus auditis, uox omnibus una repente
Intendebatur, Psalmos, hymnosq; canebant,
Atq; Deum excelsa, letantes laude uehebant.
Ut qui fidentes sibi nunquam deserat, imò
Qui miseros etiam media ex discrimine mortis
Eripiat, quorum coelo suspiria anhelant.

At senibus, quoniam discordia uerba locuti,
Prodiderant sese manifestè, & turpiter ipsos,
Indignabantur, subito &, quod lege statutum
Mosaica norant in perfida, & impia labra,
Supplicium urgebant: lapidosa grandine testes
Ambo premebantur, non digni pulueris umbra.

Atq; ita labe carens matrona, illæsa remansit,
Nec potuere hominum technæ disperdere corpus,
Quod Deus intactum uoluit, tutoreq; cinxit.

Helcæ, & uxori noua lux, noua uita redisse,
Et noua mens uisa est, Susannam propter utriq;
Cum genero, & consanguineis præconia summa
Concinuere Deo: & grates pro filia agentes,
Exultauerunt ipsam sine labe repertam,
Coniugiale decus plena cum laude tueri,
Integri & incolumem famam retinere pudoris.

Hæc Babylone puer Daniel & uidit, & ipse
Gestorum pars magna fuit, dein scripta reliquit.
Nos ea Luthero memorante audiuius olim.
Nunc, quoniam Salæ doctissima metra, Nicriq;

Te

Te legisse refers, & me quoq; Carmina poscis,
Quo potui uersu retuli, Ducis inclyti honorem
Condecorare uolens, lectumq; ornare iugalem.
Cui sua ter felix precor ut Susanna sit uxor.

Sic ait, atq; mouens capitis cum uertice frontem,
Annuit, & solito se condit in alueo Hieras,
Auribus arrectis ego plura audire paratus,
Deseror in ripa solus: sed & umbra per altos
Interea montes ascenderat, inde uolabat
Longius, & noctis se coniunctura tenebris,
Aere paulatim scanso, sublimior ibat.
Ergo domum rediens, audita reuoluo, tuisq;
Auspicijs heros fortissime idonea censens,
Concipio celeri calamo, commendoq; chartis,
Quas tua nupta legat: quæ cum Susanna uocetur,
Dorotheeq; precor, concordent nomina fati.
Sit rosa, sit blandum spinosis lilium in hortis,
Sit, uelut est, dos uera Dei, tecumq; parente
Exigat in thalamo, multos feliciter annos.

F I N I S.

IAMBICA QVAEDAM.

I.

Amor ueni benignus,
Et gaudia adfer, stricta mille nodis,
Nodis fauore firmis,
Qui coniuges fouet thoro quieto.

Dux Saxonum potens Ioan Guilhelmus,
Rhenifluriam fit gener Palatij.
Fit uirginis maritus,
Heroidos, castæ, piæ, decoræ.
O suaue, ô dulce, ô nuptiale uinclum,
Vitæ cathena libera es pudicæ.

II.

Connubio quis ora digna soluet?
Mortalium quæ lingua sat diserta,
Praconia immortalia assequetur?
Princeps poli potens, creator orbis,
Plenum uoluptatis pararat hortum,
Adæq; destinarat incolendum,
Quem mille donis fecerat decorum,
Ut conditoris instar eniteret,

Hac in beatitate constituto
Eua sponsa Adæ fuit,
Ut mutuis amoribus
Ambo fruentes, parturirent.
Quid hoc statu uitæ prius putemus?
Primæuus est, & iam Deo probatur,
Ter & quater beatus, huic adherens.

III.

Abramiden cum uiderat Rebecca,
Repente se demiserat camelo,
Interrogans: quis obuiat per agrum?
Dixitq; seruus, cernis Isaacem,
Citò decoram sumpsit illa uestem,
Frontemq; textit pallio pudicam.
Amanter ac decenter erubescens,
Pudore uirginem est professa castam.
Isac eam receptam amante dextra,
Deduxit in gynecceum parentis.
Factisq; ritu nuptijs paterno,
Gauisus est, sponsamq; sic amauit,
Ut equius materna fata ferret.
Sic suauitate acerba temperantur.

IIII.

Io ño Dux inclyte,
Dux magne Ioannes Guilhelme.
Felice natus sydere,
Felicior uiue uiue.
Gestit tibi iam nubere
Proles Palatini Gæarchæ.
Sponsus Deo sis auspice,
Fias parens eo fauente.
Sub Christiano numine
Pax sit tibi, tuæq; sponse.
Amabilis concordie
Dulcissimo fruare melle,
Diu diu fruare melle.

9/19 3442a

ULB Halle

3


004 771 036




f

SB.

HC





3

CARMEN,
IN NV^o
PTIAS ILLVSTRISSIMI
PRINCIPIS, IOANNIS GVILIEL
MI, Ducis Saxonix, ac inclytæ SV
SANNÆ DOROTHEÆ,
Illustriff. Principis FRI
DERICI Palati
ni Elect. F.

L. HELMBOLDO MVLHV
sino authore.

ERPHVRDIAE,
Per MARTINVM
de Dolgen.

M. D. LX.

